

3 *Testimonium universale, privato; liberum, coacto; antiquum, novo; testimonium viri prudentis, vel probi, vel gravis, testimonio imprudentis, vel improbi, vel levius; testimonium, quod homo contra se profert, citra coactionem, ei quod pro se profert; quod homo contra amicum, vel pro inimico profert, ei quod pro amico, vel contra inimicum profert; testimonium, quod artifex sacerdos de re ad artem suam pertinente profert ei, quod ab alio artis experte profertur; præferendum est.*

Hic canon constat conglobatione multorum canonum, quos vulgo sic proferunt: *Quæ plurimi, aut sapientiores tenent, vera esse probabile est: Antiquissima sunt certissima & exploratissima: Aut contrà, Novissima queque sunt verissima & optima.* Hi duo canones sic conciliantur: In rebus quæ ad pietatem & mores spectant, antiquissima esse præferenda: eadem in iis, quæ ad ingenium, industriam, artes, virtutæque commoditatem pertinent, à recentioribus superari. In moribus item antiquitas, in vocibus novitas sequenda est, hoc est, consuetudo, seu consensus eruditorum. Sed continuemus explicationem canonis nostri per alios, ut cœpiimus: *Quidquid homines fide digni dicunt, id ita esse probabile est: Testimonium inimici pro inimico multum valet: Testimonium amici pro amico s&pe suspectum est: Testimonium inimici contra inimicum suspectum est: Testibus levibus & conductitiis, aut ultrò ad testimonium dandum sese ingerentibus aut obtrudentibus nihil credendum: Testibus in propriâ causâ deponentibus non credendum facile: Unicuique artifici in suâ arte credendum est.*

4 *Testimonium humianum in Philosophiâ & Theologiâ non sufficit ad probandum ullum thema philosophicum vel theologicum, nisi priùs rationibus, vel testimonius divinis fuerit stabilitum.*

Non igitur, quis dicat, in Philosophia debemus primò vel solùm attendere, sed primò, quid dicatur. Et in Theologîa consensus orthodoxus magni est faciendus, si sit verè orthodoxus, hoc est, conveniat cum normâ SS. literarum.

Q 5